

III. Quamvis autem textus S. Scripturæ pro nostra Doctrina allati potissimum loquantur de Lege Cæremoniali, de qua specialiter etiam præfens quæstio movetur; pariformiter tamen etiam de lege judiciali indubiè est loquendum cum omnibus Doctoribus, & Catholicis; nimirum quod sit à Christo abrogata. Nam Sacra Scriptura loquitur generaliter, & indefinitè pro cessatione Legis Moysaycæ, cujus magna pars, & quæ cam reddit ad portandum difficilem, sunt præcepta judicialia. Unde ab omnibus supponitur, non amplius urgere præceptum de non accedendo mentis sub pœna mortis; sed solum quæritur, an ex jure naturæ sit aliqua obligatio non accedendi. Similiter certum est, Summum Pontificem hoc titulo dispensare posse in quibusdam gradibus astrictatis, in quibus Lege judiciali prohibuitur erat contrahere matrimonium; imò nunc quidam gradus sunt prohibiti, qui tunc erant præcepti: ut quod frater debebat suscitare semen defuncto fratri suo. Ita Herincx Episcopus Iprensis citatus qu. num. 18.

IV. Ex quibus colligitur, idem esse dicendum de Lege morali, seu præceptis moralibus, quæ, etsi certum sit manere materialiter, quatenus illorum materia est jure naturali, ac etiam in Lege nova præcepta, vel prohibita, nihilominus formaliter, seu in quantum erant pars Legis veteris, obligare desierunt, ut docet Divus Thomas 1. 2. qu. 98. art. 5. Scotus 4. distict. tertia qu. quarta ad 1. principale, Suarez, Medina, Tannerus, Ariada, Aversa, & alii communiter contra Bellarminum libro quarto de Justificatione. Vasquez, & alios. Ratio est, quia Lex moralis formaliter spectata fuit data, & promulgata solis Judæis, ut patet Exodi 20. Ego sum Dominus DEUS tuus, qui eduxi te de terra Egypti. Ergo ex illa non obligantur alii in Lege nova, sicut nec obligabantur Gentiles ante adventum Christi. Sed neque Judæi amplius obligantur; tum quia non est modò distinctio Judæi, & Græci: tum quia status Republicæ judaicæ, cui Lex vetus est lata, totaliter periit; tum quia non est ratio, cur generales scripturas dicentes legem esse positam, donec veniret semen, eamque nunc cessasse, etiam ad præcepta moralia non extendamus.

Nec obstat, quod Apostoli, quando docent præcepta moralia esse servanda à Christianis, allegent verba veteris Testamenti: id enim non faciunt, quasi illa præcepta velint spectare ad Christianos, quatenus erant veteris Testamenti: sed quia in illis clarè proponitur jus naturæ, quod etiam obligat Christianos. Quia ratione Theologi subinde fumunt probationes ex veteri Testamento, quando ex illo haberi potest quid jure naturali à Christianis sit observandum.

§. II. Non tamen statim desit obligare in Nativitate Christi, vel ante mortem illius.

I. Ex vetus non desit in nativitate Christi: nec ante mortem illius. Ita Divus Thomas 1. 2. qu. 203. art. tertio. Scotus loco citato, & communiter omnes apud Herincx citatum numero 20. Ratio est: quia Christus utque ad mortem servavit Legem Moysi in Circumcisione, in oblatione in templo, esu Agni Paschalis &c Item mundatos à lepra misit ad Sacerdotes juxta Legis præscriptum, ut scilicet de sanatione judicarent; imò oppositam Pharisæorum calumiam à se repulit, monstrando se nihil Legi contrarium facere, ac declarando verum illius sensum, qui uterque Legis adimplendæ modus à Christo significatur, cum dicit Matthæi 5. non veni solvere legem, sed adimplere.

II. Nec obstat, quod Matthæi 11. dicatur: Omnes Prophetæ, & Lex usque ad Joannem prophetaverunt: ergo Lex vetus cessavit, quando Joannes prædicare incepit. Respondeo. Nego consequentiam sensus enim illorum verborum est, quod Lex, & Prophetæ usque ad Joannem prædixerint Christum esse venturum: ille autem jam venisse ostenderit. Vel quod Lex, & Prophetæ usque ad Joannem, promissiones bonorum temporalium prædicaverint; exinde verò ceperint evangelizari promissiones bonorum spirituum, & regni cælestis.

III. Ad nunquid Baptismus, qui est primum novæ Legis Sacramentum, fuit à Christo institutum ante mortem, ut docet Scotus in 4. distict. 3. qu. 4. num. 2. ergo præceptum Baptismi cepit obligare ante mortem Christi, ac proinde præceptum Circumcisionis jam tunc obligare desit. Quod consequenter, & à fortiori etiam sentiendum est de aliis præceptis Legis antiquæ.

Resp. Neg. const. licet enim Baptismus fuerit à Christo institutus ante mortem, non tamen ibi fuit statim in præcepto; ut tenet Doctor cit. itaque instituto semel Baptismo Circumcisio non fuit quidem amplius necessaria determinatè necessitate mediæ, cum ad delendum peccatum ori-

ginale illa non esset unicum medium, sed ad hoc sufficeret Baptismus; erat tamen necessaria necessitate præcepti; nam ita erat legi antiquæ inserta, ut signum esset fidelium qui legem illam profitebantur; illoque proinde uti, dum lex illa perisset, necessarium fuit ex Dei præcepto. Herincx cit. num. 21.

IV. Adverte tamen, à tempore Adventus Christi non potuisse Cæremonias veteris legis servari tamquam signa Messicæ venturi, quia tunc actu jam venerat; sed, vel simpliciter tamquam figuræ Messicæ, vel tamquam figuræ Mysteriorum futurorum, quæ necdum erant impleta: cum præcipua in Passione, & morte forent implenda. Ita Herincx cit. num. 21.

§. III. Nec præcisè in morte Christi, sed à promulgatione Legis novæ facta in Pentecoste.

I. Circa hanc controversiam duæ sunt famosæ sententiæ in Schola Angelica, & Subtili: nam prima sententia docet legem veterem desisse obligare in ipso puncto mortis Christi, etiam antequam nova inceperit promulgari in die Pentecostes. Ita apud nostrum Magistrum in Theol. Morali, disp. 2. qu. 3. art. 1. D. Th. l. c. cum suis, & pluribus Recentioribus, Valentia, Vasquez, Bellarmino &c. Secunda verò sententia asserit, quod licet Mors Christi dederit causam cessationi securitatis legis Moysaycæ, tunc tamen non statim legem veterem expirasse, sed eam desisse obligare in ipso die Pentecostes, in quo facta fuit solemniter promulgatio legis novæ. Ita Doctor noster Seraphicus Divus Bonaventura in 4. d. 3. p. 2. ar. 3. q. 2. Doctor noster subtilis Joannes Duns Scotus in 4. d. 3. q. 4. Scotistæ omnes, ac etiam Suarez, Arriaga, Aversa, & alii Recentiores. Pro qua sententia clarissimè stat Doctor etiam mellifluus S. Bernardus, Epist. 77. ubi ait: Ex eo tempore tantum cuique capit antiqua observatio non valere, ex quo præceptum Baptismi inexcusabiliter ad ejus notitiam potuit pervenire. Hoc etiam docuisse videtur Conc. Tr. sess. 6. c. 4. ubi agens de translatione ex statu peccati originalis ad statum gratiæ ait: Que quidem Translatio post Evangelium promulgatum sine lavacro regenerationis, aut ejus voto fieri non potest. Quibus verbis non obscure significat, ante promulgatum Evangelium potuisse id fieri per circumcisionem: atqui Evangelium non est promulgatum, nisi à die Pentecostes, ergo. Cujus ulterior

II. Ratio est, quia lex vetus non prius desit, quam nova cæperit obligare, cum generatio istius sit corruptio illius; juxta illud Apostoli ad Eph. 2. legem Mandatorum decretis evacuans, id est, legem moysaycam decretis Evangelicis excludens, ut exponunt S. Chrysostomus, Theophilactus, & Oecumenius ib. atqui lex Evangelica non cepit obligare ante diem Pentecostes: ergo ante illum diem lex moysayca obligare non desit. Major conceditur ab Adversariis tum ob autoritatem primò allegatam: tum etiam, quia aliàs extitisset status mediæ absque ulla lege positiva actualiter obligante: quod absurdum esse ipsimet testantur. Minor, quam negant, sic probatur. Lex ante sui promulgationem non obligat, cum promulgatio vel sit de essentia legis, prout volunt Thomistæ; vel saltem conditio necessaria ad hoc, ut lex actu obliget, prout docent Scotistæ: sed lex Evangelica non fuit promulgata ante Pentecosten: cum Apostolis antea publicè prædicare permittum non fuerit: ut habetur Lucæ 24. vos autem sedete in civitate, donec induamini virtute ex alto: ergo lex Evangelica non cepit obligare ante diem Pentecostes, & consequenter.

III. Respondent Thomistæ, duplicem esse legis promulgationem, unam essentialem, & legi sufficientem, quæ fit, quando Princeps, ut persona publica, illam proponit, & intimat suis subditis in Curia existentibus: alteram solemnem, & Accidentalem, quæ ad tollendam subditorum ignorantiam ordinatur, & fit, cum lex à Præcone per singulas Provincias, aut per omnes præcipuas civitates publicatur. Quamvis ergo lex Evangelica hoc secundo genere promulgationis solum in die Pentecostes promulgata fuerit ab Apostolis ut Christi præconibus: fuit tamen antea ab ipsomet Christo Domino proposta, & promulgata: ergo lex Evangelica etiam antedie Pentecostes jam cepit obligare.

Contra est: quod hæc Responsio probet legem Evangelicam jam obligasse ante mortem Christi, cum Christus jam tunc illam intimaverit, & promulgaverit in sua prædicatione, primo promulgationis genere: quod tamen Thomistæ negant. Unde licet Christus potuisset per præviam illam promulgationem à se factam, inducere obligationem legis, id tamen noluit: prout colligitur ex illo Matth. 10. Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, & quod in aure auditis, prædicante super tella: ubi publicam, & solemnem promul-

mulgationem novæ Legis demandavit Apostolis; quæ proinde non solum ordinabatur ad tollendam subditorum ignorantiam, sed etiam requirebatur ad constituendam legem in ratione proximè obligantem: quia ab ipsomet Legislatore imperata fuit.

IV. Cætera, quæ obijciunt Thomistæ, v. gr. quod Christus mortuus dixerit Joann. 19. consummatum est: quod in morte Christi velum templi scissum sit, & translatum Sacerdotium etc. & quod consequenter Lex vetus in morte Christi cessaverit, & nova confirmata fuerit; similia, inquam, solvi possunt, dicendo, quod Lex vetus in morte Christi desierit, & nova inceperit casualiter, & Radicaliter, non verò formaliter, & actualiter, prout advertunt D. Bonaventura, Scotus, Suarez, Herincx, Magistrus, & alii. Nec obstat, quod statim post mortem Christi sit referata janua cæli, & patres in limbo existentes translati sint ad statum gloriæ, quod Lex vetus præterire non potuit. Respondetur enim, referatam tunc esse januam cæli; quia oblatum est sufficiens, imò superabundans pretium pro Redemptione hominum, ipsaque cæli apertione, & translatione patrum ad statum gloriæ. Ex quo tamen non licet inferre Legem veterem tunc expirasse: quia etiam stante lege veteri illa oblatio pretii potuit fieri, & facta est dependenter à meritis Passionis, & mortis Christi. Nec denique obstat, quod præcepta cæremonialia fuerint umbra, & signa præfigurativa Mortis Christi futura: adeoque morte adveniente debuerint cessare: dum enim adest veritas, non potest amplius esse locus umbræ, & signis. Respondetur enim, quod præcepta cæremonialia fuerint umbra, & signa præfigurativa mortis Christi secundum id, quod importabant secundario, & sub hæc ratione adveniente Christi morte debuerint cessare: secundum id autem, quod importabant primario, quatenus scilicet præscribebant spirituales modum colendi Deum, perduravere usque ad promulgationem Legis Evangelicæ.

§. IV. Ubi licet fuerit Mortua, non tamen statim fuit Mortifera, sed aliquo tempore post illius abrogationem licitum fuit servare Præcepta cæremonialia, quamvis non fuerit necessarium.

DE hac Quæstione fuit olim gravis, & diuturna controversia inter duo præclarissima Ecclesiæ lumina, S. Hieronymum, & S. Augustinum, hoc asserente, usum Cæremoniarum legalium aliquanto adhuc tempore post cessationem veteris Legis fuisse licitum, isto id acriter negante. Sed Sanctum Augustinum sequuntur plerique Scholastici. Pro quo

I. Notandum, quod aliud sit, præcepta veteris Legis esse Mortua, & aliud esse Mortifera. Mortua ex eo dicuntur, quod careant efficacia obligandi ad sui observantiam, mortifera verò ex eo, quod sine gravi peccato observari non possint, adeoque sui observatoribus animæ mortem inferant. Præcepta Legis veteris, quæ postea statim fuisse mortua in die Pentecostes, diximus in §. præcedenti an verò statim fuerint mortifera? dicimus:

II. Lex vetus non ita desit obligare in die Pentecostes, ut quoad omnia sua præcepta statim fuerit mortifera, sed aliquo tempore post illius abrogationem fuit licitum servare præcepta cæremonialia: quamvis non fuerit necessarium. Ita S. Augustinus Epist. 19. ad Sanctum Hieronymum, Scotus in 4. dist. 3. quæst. 4. & alii communiter contra Divum Hieronymum. Ratio est, quia ipsimet Apostoli usurparunt Cæremonialia iis in locis, ubi Lex nova jam cæperat, & vetus desierat obligare: ut patet ex Actuum 16. ubi Saulus Timotheum, ex patre gentili, & matre judæa natum circumcidit, & cap. 18. ubi more Nazæorum totondit caput in Cenchrus, ac cap. 21. ubi de consilio Apostoli Jacobi, & Seniorum usus est legali purificatione cum judæis, ut illos sibi conciliaret, & purificatus cum illis templum ingressus est: ergo licet lex vetus post publicationem novæ fuerit mortua, & desierit obligare, non tamen statim fuit mortifera quoad omnia sua præcepta. Accedit congruentia; quia sicut homines mortui solent aliquandiu ante sepulturam servari, ut cum honore sepulturæ inferantur; ita decuit Legalia, postquam erant mortua, per aliquod tempus servari, ut mortua Mater Synagoga sepeliretur cum honore; si enim statim rejecta fuisset, præbita fuisset anfa hominibus existimandi, veterem Legem fuisse malam: ergo &c. Ita S. Augustinus cit.

III. Respondet Sanctus Hieronymus Epistola ad Augustinum, quæ inter Epistolas ipsius Augustini connumeratur undecima, nunquam Apostolos post Christi resurrectionem Legalia observasse secundum veritatem, sed solum ex quadam pia simulatione, ne scandalizarent judæos, & eo-

rum conversionem impedirent. Verùm contra est: quod si legalia tunc fuissent mortifera, ut sentit Sanctus Hieronymus, non potuissent licite usurpari simulatorie ab Apostolis, quia contra fidei professionem est: uti cultu superstitioso, & profiteri exterius falsam Religionem: cultummodi erat Religio judæorum quoad cultus illos, si erant superstitiosi, & mortiferi.

Nec obstat I. quod Sanctus Paulus ad Galatas 5. dicat; Si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit: ait enim S. Augustinus libro de Mendacio capite quinto, & in expositione capite 5. Epistola secunda ad Galatas, Apostolum intellegendum esse de circumcisione cum opinione necessitatis susceptæ, quasi scilicet vi Legis veteris esset observatu necessaria ad justificationem, & salutem consequendam; quod utique fuisset erroneum, & malum; non vero de circumcisione cum opinione licititatis susceptæ; qua ratione idem Apostolus Timotheum circumcidit: Titum verò noluit circumcidere; quia Titus gentilis erat, cui proinde usus Legalium non ita licuit, sicut judæis; siquidem idem usus Legalium aliquandiu judæis permittebatur, ut mortuam matrem suam Synagogam sepelirent cum honore, aliàs daturum occasionem opinandi, Legalia, & alia antiquæ Legis præcepta fuisse mala, & illicita. Secus erat de Gentilibus, utpotè, qui de gremio prædictæ matris non erant.

Nec obstat II. quod Sanctus Paulus ad Galatas 2. reprehenderit Sanctum Petrum, eò quod legalia usurpasset, se à gentilibus Antiochenis recenserit conversis segregando, & vivendo judaicè cum judæis, qui Hierosolymis à Jacobo advennerant. Respondetur enim, Sanctum Petrum jure quidem esse reprehensum à Sancto Paulo, non quod simpliciter uteretur cæremoniis judaicis post abrogationem Legis veteris (hoc enim fecerat, & ipse Sanctus Paulus, ut supra dictum) sed quod uteretur cum aliquo scandalo infirmorum; adeo ut Christiani ex ejus facto inducerentur ad existimandum, observationem Legalium adhuc esse necessariam, & ita quodammodo cogenter judaizare: prout significat verba illa Pauli ad Petrum ad Galatas c. 2. Si tu Judæus cum sis gentiliter vivis, & non Judaicè, quomodo cogis gentes Judaizare? ac si diceret; quomodo fieri potest, ut tuæ conversionis exemplo gentes convertas? quo facto Petrum peccasse venialiter, post Sanctum Augustinum docent Doctores Angelicus, & Subtilis, ac alii plures; licet Baronius relatus à Suarez libro nono de Lege veteri capite 20. & quidam alii putent peccasse tantum materialiter ex quadam inconsiderantia. Quia etiam Suarez citat. nequidem in hoc consentit, ratus, in illo actu Petri tantum fuisse defectum majoris Boni ut sic, saltem hoc certum videri debet, non peccasse graviter, propterea quod jam confirmati essent Apostoli in gratia per Spiritum Sanctum Herincx cit. quæst. 4. num. 26.

IV. Ex dictis colligitur, Cæremonias Legis veteris de facto ab Ecclesia restaurari, aut usurpari non posse, saltem formaliter, id est, ex vi memoratæ Legis, & cum intentione per eas, quæ significant Mysteria Christi, ac futura, colendi Deum: hoc ipso enim, quod hujusmodi Mysteria, ut futura representarent nequeant, cultum falsum, & illicitum continent. Ita habet communis fidelium sensus. Dixi: formaliter, & cum præposita illa intentione; hac enim seclusa, & materialiter solum sæpè dictas Cæremonias observare, puta, ob alium quempiam finem, v. g. recuperandæ sanitatis causa à se lavando, nullam culpam importat;

Porro præcepta judicialia materialiter spectata pariter reasumi possunt, & à Regibus de novo præcipi: quia ex natura sua non ad cultum, & significationem Christi venturi, sed potius ad servandam in politico regimine æquitatem ordinata erant. Idem dicendum est de quibusdam Cæremoniis minutioribus materialiter consideratis: nam, & ipsæ ob moralem Ecclesiæ utilitatem præceptæ, sive permittæ sunt: ut patet de quibusdam Sacris vestibus, & similibus; sicut etiam Ecclesiæ ministris suis ad congruum eorum sustentationem solvi jubet decimas, & puerperis permittit (non obligat) ut certo tempore ab ingressu Ecclesiæ abstineant, ex quadam decencia veluti negativa.

Quæres, quo præcisè tempore Lex Moysayca ceperit esse mortifera?

Respondeo, hoc esse dubium, & incertum. Non pauci Theologorum existimant, illam solum cepisse esse mortiferam quadragesimò circiter post Christi mortem anno, postquam Evangelium sufficenter jam toto orbe judæis promulgatum fuit per Apostolos, templumque Hierosolymitanum unà cum statu republicæ judaicæ à Romanis Imperatoribus eversum; tunc enim non erat amplius necessarium deferre honorem Synagogæ jam extinctæ, aut

condescendere judæis, tamdiu Divinae vocationi pertinaciter resistentibus. Alii contra auctant, Legem Moysaycam jam ante cepisse esse mortiferam, nimirum viventibus adhuc Apostolorum principibus Petro, & Paulo, qui suam vitam non prorogaverunt ad quadraginta annos post Christi Ascensionem, sed solum ad 35. vel 36. quia jam tunc Evangelium sufficienter erat promulgatum, prout testatur Apostolus ad Rom. 8. Sed dico, nunquid non audierunt? & quidem in omnem terram exiit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.

QUESTIO IV.

De Lege Nova, seu Evangelica.

SUMMARIUM.

- 108 Lex Evangelica variè nominatur.
109 Christus est Legislator Legis Evangelicæ.
110 Quæ multis modis legem veterem excellit.
111 & 112 Assignatur Excellentia legis Evangelicæ supra veterem.
113 Lex Evangelica continet præcepta Moralia, Sacramentalia, & Theologalia.
114 In quo ergo consistat libertas Christiana, si tibi sint præcepta in lege nova?
115 An lex Evangelica etiam contineat præcepta judicialia?
116 Lex Evangelica obligat omnes homines, & quidem in conscientia.
117 Lex Evangelica incipit obligare in die Pentecostes.
118 Et durabit usque ad finem mundi.
119 Cur lex veteris non duraverit usque ad finem mundi?
120 Cur lex nova non sit instituta à principio mundi?
121 Lex Evangelica est à Deo abrogabilis, & dispensabilis;
122 Non tamen ab Ecclesia, vel à Summo Pontifice.
123 Solvuntur objectiones.
124 Lex nova patitur interpretationem humanam, non tamen propriè Episcopalem.

ASSERTIO IV.

Christus Dominus instituit Legem Novam, seu Evangelicam, quæ ad legem veterem comparata multis eam modis excellit: continet triplicia præcepta, & obligat in conscientia omnes homines: incipit obligare in die Pentecostes, & durabit usque ad finem mundi: licet per Potestatem Divinam sit abrogabilis, & dispensabilis, non tamen per potestatem humanam. Ita communiter Theologi apud Martium in Theol. moralis, disput. 2. quæst. 3. art. 2. Herincx cit. q. 5. & alios.

S. I. Christus Dominus instituit Legem novam, seu Evangelicam, quæ ad Legem veterem comparata multis eam modis excellit.

Lex Evangelica variis appellatur nominibus; nam ad Rom. 3. vocatur lex fidei, & cap. 8. spiritus vite, Joann. 1. appellatur Gratia. Jacobi 6. lex libertatis. Denique vocatur lex nova, vel quia totum hominem per gratiam renovat, ut ait S. Augustinus tract. 65. in Joannem: vel quia est ultima lex à Deo data, quæ priorem antiquavit, ut sentit Cyrillus libro nono in Joannem capite vigesimo quarto.

Hanc ergo Legem Evangelicam Christus instituit. Est de Fide contra Hæreticos quosdam nostri temporis: dicentes Christum Jesum esse hominibus datum, ut Redemptorem, cui fidant, non autem, ut legislatorem, cui obediant, quibus dicitur anathema à Concilio Tridentino sess. 6. can. 21. Ratio est; quia Isaia 2. dicitur: de Sion exibit lex, & cap. 33. Dominus Judex noster, Dominus legislator noster, Dominus Rex noster, ipse salvabit nos, & in Evangelio passim Christus de lege sua loquitur; ut Joann. 14. Mandata mea servate, & Matth. 28. Docentes eos servare omnia, quæcumque mandavi vobis. Idem patet ad Hebræos 2. & alibi: ergo Christus est Legislator legis Evangelicæ.

II. Quæ Lex Evangelica ad veterem comparata multis eam modis excellit. Quam Legis Novæ excellentiam expressit Apostolus ad Galat. 3. ad Hebr. 7. 8. & 9. aliisque locis. Potest autem hæc excellentia demonstrari instituendo comparationem, Primò in causa efficiente; nam licet Author utriusque legis sit Deus, hoc tamen interest, quòd veterem legem dederit per Ministerium Angelorum; novam autem per Ubigenitum Filium suum, ut tradit Apostolus ad Hebræos 2. Secundò in materia utriusque legis; nam in primis Mytheria Sanctissimæ Trinitatis, Incarna-

tionis, & Redemptionis, aliaque in lege veteri occulta, aut imperfecta cognita sunt in Evangelio aperte revelata. Ob quod Sanctus Augustinus vetus testamentum vocat occultationem novi, & novum Testamentum appellat revelationem veteris. Et ad idem significandum, Moy ses, dum loqueretur ad populum, faciem velabat; nobis autem Christus revelata facie est locutus, 2. Cor. Tertio Materiam etiam moralem pravis interpretationibus corruptam lex nova illustrat, perfectissima morum Consilia adjicit, & internos animi motus magis, quàm Lex veteris dirigit; Sacrifitiis etiam, & Cæremoniis veteribus propè infinitis succedit efficacæ, & incomparabile Sacrificium, & Sacramenta numero paucissima, & observatione facillima, & significatione præstantissima, ut loquitur Sanctus Augustinus Epist. 118. ad Januarium cap. 1.

III. Tertio, si formam spectemus, Lex nova non fuit scripta in membranis, aut tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus, per proprium Verbum Dei Hominis, Spiritu Sancto per abundantiam gratiæ cooperante, ut ex vaticinio Jeremiæ docet Apostolus ad Hebræos 8. Quamvis processu temporis varia Mytheria, & ordinationes novæ legis, sint Evangelicis, aut Apostolicis scriptis inserta. Quarto. Quia lex nova est finis legis veteris secundum Apostolum, ad Rom. 10. finis Legis Christus. Unde umbra habet futurorum, ut dicitur ad Hebræos 10. At veritas per Jesum Christum facta est. Joann. 1. & Apostolus ad Hebræos 4. Legem novam vocat consummationem veteris. Quare lex nova se habet ad veterem, sicut corpus ad umbram, & in ea continetur, sicut perfectum in inchoato, ut habet D. Thomas quæst. 107. art. 3. Quintò, si effectum utriusque legis spectemus, lex veteris continet mandata, non gratiam, qua impleantur, sed hanc ex fide in Christum, & lege nova velut emendicat, juxta illud Act. 4. neque enim aliud nomen est sub Cælo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri. Quod etiam de illis, qui Christum præcesserunt, debere intelligi, optimè docet S. Augustinus Epist. 157. ad Opratum. Sed lex nova continet spiritum fidei, & gratiæ, veramque justitiam, & Sanctitatem cum ejusdem Authore adfert. Deinde lex nova etiam hac in parte excedit, quòd gratiam sibi propriam multò copiosius conferat, quàm fuerit ex fide in Christum venturum tempore veteris legis collata. Denique quòd contineat septem Sacramenta, quæ sunt abundantia gratiæ vasa, quam conferunt ex opere operato.

IV. Sextò plures aliæ differentiæ assignari possunt, ex quibus præstantia legis novæ elucefcit; ut, quòd sit magis universalis ex parte locorum, temporum, & personarum. Item quòd sit filiorum, lex veteris autem servorum. Denique lex nova non est adeò onerosa, secundum illud Christi apud Sanctum Mattheum cap. 11. Jugum meum suave est, & onus meum leve. Nec obstat præcepti de Confessione difficultas: eam enim plurimum lenit, tum Confessionis sigillum, tum Sacramenti istius utilitas, nempe reconciliatio cum Deo etiam sola attritione obtinenda, quam (ut ait Concilium Tridentinum sess. 14. c. 3.) interdum in viris piis, & cum devotione hoc Sacramentum percipientibus, conscientie pax, ac serenitas cum vehementi Spiritus consolatione consequi solet. Accedit copiosus spiritus charitatis, & gratiæ, quam ex se lex nova adfert; qui hoc, & nonnulla alia legi carnis adversa reddit suavia; siquidem amanti nihil difficile: ut simpliciter dicendum sit cum Sancto Joanne Epist. 1. cap. 5. Mandata ejus gravia non sunt. Cum tamen in veteri lege præceptorum multitudo, variorum summa difficultas, gratiæ aliundè mutuata, pretio redemptionis necdum perfoluto, paritas, eam redderent importabilem, ut illam vocat Divus Petrus Actu decimo quinto.

S. II. Continet triplicia Præcepta, & obligat in Conscientia omnes homines.

Lex nova non solum continet præceptum fidei: sed varia alia præcepta, quæ congruè possunt distinguì in Moralia, Sacramentalia, & Theologalia. Est de fide ex Tridentino sess. 6. can. 19. contra Sectarios nostri temporis; qui existimant solum fidem esse præceptam, sicut hanc solum putant justificare, & sufficere ad salutem. Ratio est; quia Mattheus 5. Salvator noster legem naturalem renovat, & perfectius declarat, sepius repetens. Ego autem dico vobis &c. Significans se ista pro tempore Evangelii mandare. Unde tantum abest Christum à Lege Naturæ, seu morali exemisse Christianos, ut Sanctus Paulus Apostolus ad Galatas 6. & alibi faret, alioque legis moralis transgressores à Regno Dei etiam in lege nova exclu-

S. III. Incipit obligare in die Pentecostes, & durabit usque ad finem mundi.

Lex nova incipit solum obligare in die Pentecostes, quando solemniter fuit promulgata. Ita communiter Doctores. Item tradit S. Augustinus 119. capit. 16. S. Leo Papa Serm. 1. in Festo Pentecostes. Ratio est: quia ante hanc diem Lex nova non fuit solemniter promulgata ante hanc diem non cæpit obligare, cum promulgatio requiratur ut necessaria conditio, ad hoc, ut Lex actu obliget juxta dicta Sect. 1. q. 1. num. 11. ubi tamen notandum, quòd ait Doctor subtilis in 4. d. 3. q. 4. videlicet tempus obligationis Legis Evangelicæ non fuisse idem apud omnes, sed post solemnem ejus prædicationem in Jerusalem in die Pentecostes, inde successivè pervenisse ad alias civitates; ita ut secundum ordinem cuilibet loco vel genti tempus obligationis iniret, secundum quòd publicè & solemniter Lex Evangelica prædicabatur; ita quòd tempus non incipit simul apud quoscunque, sed quibusdam populis incipit ad mensum post solemnem prædicationem in Jerusalem, & aliquibus ad annum, aliquibus ad decem annos & sic deinceps, sicut eis prædicabatur. Cùm autem per 40. circiter annos Lex nova toti mundo potuerit promulgari; hinc etiam post tot circiter annos post Christi Passionem elapsos totum videtur mundum obligasse.

II. Lex nova durabit usque ad finem mundi: est de fide, idque voluit Christus Matth. 28. dicens: Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi. Similiter dum Matth. 16. talis stabilitas Ecclesiæ Christi asseritur, simul stabilitas Legis Christianæ ostenditur. Unde novum Testamentum, & Regnum Christi dicitur æternum ad Hebr. 13. & in Consecratione calicis. Item Apoc. 14. Danielis 2. & alii.

III. Aliud fuit de Lege veteri, quàm hoc sensu non dicitur æternam, patet ex eo, quòd constat illam fuisse figuram, & umbram novæ Legis. Imò in ipso veteri Testamento Lex nova promittitur Jerem. 31. Malach. 1. & alibi. Hoc autem non habet locum in Lege Evangelica, quia imò de ea expressè dicitur Dan. 2. in æternum non dissipabitur, alteri non tradetur, stabit in æternum. Et Psal. 109. de Sacerdotio Christi dicitur: Juravit Dominus, non penitebit eum. Tu es Sacerdos in æternum.

IV. Cur autem similiter lex nova non sit à principio mundi instituta, congruentia potest assignari ex perfectione legis novæ: non enim aliquid ad perfectum adducitur ab initio, sed quodam successione ordine. Deinde oportuit hominem sibi in statu veteris legis relinqui, ut infirmitatem suam in peccatum labendo cognoscens, recognosceret se gratia indigere, secundum illud Apostoli ad Rom. 3. omnes peccaverunt, & egent Gloria DEI: Denique non deicit legem novam, quæ est lex Gratia, dari opere Redemptionis necdum per Christum consummato. Urde dicitur Jo. 7. nondum erat Spiritus datus, quia JESUS nondum erat glorificatus.

S. IV. Licet per Potestatem Divinam sit abrogabilis & dispensabilis, non tamen per Potestatem humanam.

Certum est Legem Divinam positivam posse à DEO ejus Authore abrogari, ac dispensari; hoc enim ex illo generali deducitur principio, quòd quilibet Legislator Legem suam mutare potest, ac dispensare, quòd maximè in supremo Legislatore, qualis est DEUS, locum habere debet; tum etiam ex facto ipso, quòd constat, DEUM Legem veterem abrogasse, quæ verè Divina erat. Certum etiam est potuisse ipsum DEUM, potuisse Christum, dum suam Legem condidit, talem potestatem eam dispensandi committere Ecclesiæ, sive Petro & Successoribus ejus, sicut potest quicumque Superior alteri facultatem committere dispensandi in suis Legibus, & præceptis. Quæritur ergo, num talis potestas de facto Ecclesiæ sit concessa, & specialiter, num possit Summus Pontifex aliquando ex causa gravi, & necessaria dispensare in præceptis novæ Legis, in casu, quo aliquo præcepta ipsa verè obligarent; in qua controversia

II. Communis est Theologorum sententia, non adesse in Ecclesia potestatem dispensandi in Lege nova, seu Evangelica. Et ita defacto agnoverunt, & servaverunt ipsi Summi Pontifices, Leo Papa, ut refertur capit. sicut quadam, dub. 13. Urbanus Papa, ut refertur capit. sunt quadam 25. quæst. 1. Zozimus Papa, ut refertur contra Ravata; ibidem, & Marcellinus Papa, ut refertur

cludendos denuntiet. Deinde præcepta Sacramentalia dedit Christus Joann. 3. nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in Regnum DEI, Joann. 6. nisi manducaveritis carnem filii hominis &c. Luc. 22. de novo Sacrificio ait Christus: Hoc facite in meam Commemorationem, & alibi. Postremò Præcepta quoque Theologalia seu virtutum Theologiarum instituit Marci 16. qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur. Matth. 22. & Lucæ 10. inculcat præceptum illud: Diliges Dominum DEUM tuum ex toto corde tuo. Et alibi frequenter tum in Evangelio, tum in scriptis Apostolorum necessitas fidei, & charitatis monstratur. Ubi tamen est observandum; omnia Legis novæ præcepta ad aliquod ex hoc triplici præceptorum genere pertinere. Nihilominus in lege nova continentur etiam quædam Concilia moralia, quæ idcirco Evangelica dicuntur, nempe paupertatis, castitatis, & obedientiæ.

II. Dices: In quo ergo consistit libertas Christiana, si Lex Christi tot continentur Præcepta: Respondeo, libertatem Christianam non esse sitam in hoc, quòd simus liberi ab observantia præceptorum DEI: sed primò in libertate à servitute peccati & mortis juxta illud Joann. 8. omnis, qui facit peccatum, servus est peccati: si ergo vos filii liberi eritis, verò liberi eritis, Et ad Rom. 6. liberati à peccato, servi facti estis Justitiæ. Secundò in libertate à Jugo Legis Cæremonialis & Judicialis Judæorum; ad Gal. 4. Quomodo iterum convertimini ad infirma & egena Elementa, quibus denudò servire vultis. Est autem notanda differentia inter esse sub Lege, & esse in Lege, quam notavit D. Augustinus in Psalm. 1. Judæi erant sub Lege: quia tanquam servi subiecti erant penis, & terroribus legalibus. Nos sumus in Lege, quia tanquam filii ex amore, & charitate vivimus secundum Legem. Hoc sensu Apostolus 1. Corinth. 9. negat se esse sub Lege, & affirmat se esse in Lege.

III. Quæres: An Lex Evangelica etiam contineat Præcepta Judicialia? Resp. negativè. Ratio est: quia Christus non assumpsit sibi regnum temporale juxta illud Joann. 18. Regnum meum non est de hoc mundo: neque voluit Judicem agere temporalem, ut constat ex Luc. 12. Quis me constituit Judicem super vos? quare licet ad gubernandam debitè Ecclesiam aliqua præcepta judicialia sint necessaria supposita hominum infirmitate, quia tamen Christus optavit, ut ejusmodi infirmitatem superare vellet, similia præcepta non posuit, sed ea ponendi potestatem reliquit Ecclesiæ, prout videretur pro occurrentibus occasionibus locis & temporibus opportunum, aut necessarium: qualia præcepta & modò statuta sunt à Jure Canonico.

IV. Lex nova obligat omnes homines, & quidem in conscientia. Est de Fide. Ratio primi est: quia Christus Matth. ultim. ait: Data est mihi omnis potestas in Cælo, & in terra: euntes ergo docete omnes gentes &c. & Marci ultim. Euntes in mundum universum predicare Evangelium omni Creaturæ: ubi nomine omnis creaturæ venit homo, prout pulchrè declarat S. Gregorius Homil. 29. in Evangelia: ergo &c. Idem patet ex eo, quòd sicut Christus est omnium hominum Redemptor, ita oportuerit ipsum instituire legem pro omnibus, per quam ad sanctificationem & salutem pervenirent. Ratio secundi est: quia illa lex obligat in conscientia, quæ obligat sub reatu peccati æterni incurrendæ; cum hæc necessariò supponat obligationem habitam in conscientia, & culpam contra talem obligationem contractam: sed lex nova obligat sub reatu peccati æterni incurrendæ: ergo obligat in conscientia. Minor probatur ex illo Marci 16. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur: & Joann. 8. si non credideritis, quia ego sum, moriemini in peccato vestro: ergo lex nova obligat in conscientia, & quidem regulariter sub culpa gravi, ob eandem rationes, ob quas in questione secunda præcedenti, num. 85. diximus, ita obligasse Legem veterem. Potest tamen & hic dari parvitas materiæ à mortali excusans, ut in confesso est. An autem Lex Evangelica obliget cum periculo mortis, vel gravis damni, resolvit P. Parvitiuss S. pover tract. 1. proem. Theol. Moralit. c. 2. Sect. 4. n. 52. ubi dicitur potest.